

REUTLINGENSE.

9

*Sed tamen hinc tandem munita à sede recessit:
Venerat ad nostram Reütlingam protinus urbem,
Inq; furore volens euertere funditus illam,
Aut sibi subiectam, & deuictam reddere totam.
Ecce pios gemitus fundunt è pectore ciues,
Atq; DEI precibus orant ardentibus omnes
Auxilium: tali soluentes pectora VOTO:
Christe salus hominum, qui non in sanguine nostro
Hic delectâris: nec perditione locorum
Tu multum gaudes: sed nos seruare redemptor
Venisti in mundum: cupis hic saluarier omnes:
Praesertim quite vero venerantur amore,
Quiq; colunt digno Christum te semper honore.
Propterea nostram, Deus optime dirige causam,
Reütlingamq; tuam clementer protege sedem.
Si facis hoc: nostrasq; preces audiuers vdas,
Nec gemitus tantos contemseris optime Christe:
Hic tibi Reütlingæ Templum, matriq; Mariæ
Inprimis sacrum, nostra condemus in vrbe.
In quo te, Matremq; tuam pietate perenni
Pectore sincero, constantimente colemus.
His precibus votisq; pijs, ex ordine factis:
Aduenit auxilio, Sueuorum Ductor & Auctor
Fridricus Caesar, pressam qui liberat urbem
Quam nuper muro circumdare iusserat alto,
Et sibi subiectam, deuictam iure, fideq;ue
Hanc sedem ostendit, veteriq; in amore recepit.
Sic fuit Henricus Rex nostra à sede repulsus,
Et Reütlinga suis precibus, votisq; solutis
Libera: & exaudita simul sub numine Christi.
Exemplò ciues soluunt sua vota Mariæ
Et Christo statuunt ingens, illustre Sacellum*

Vide Nauch,
fol. 832.

Oratio & votum
Reütlingensium.

Omne promif-
sum cadit in do-
bitum, & solu-
tionem.

C

Cal-